



*N* stellis & phænomenis, siue hæc sint ex eorum numero, quæ semper circa polum circumaguntur, siue quæ merguntur sub horizontem, ac vicissim exoriuntur, & sunt expertes omnis parallaxeos: facili admodum negotio ex illorum altitudinibus meridianis declinationes veræ inueniuntur. Ac in illis quæ semper apparent, subducitur minima altitudo meridiana stellæ à maxima, residuum distribuitur in duas æquales partes, quarum altera ex integro quadrante demitur, aut item poli altitudo à maxima stellæ altitudine detrahitur, residuum rursus de quadrante aufertur. Vtrocunq; quis operatus fuerit modo, habebit veram declinationem stellæ. Vel rursus subtrahitur minima stellæ altitudo à polari altitudine, ac reliquum demitur ex quadrante, & resultat declinatio vera. Sic etiam in stellis, quæ labuntur subtus horizontem, aufertur altitudo stellæ meridiana, ex altitudine æquatoris, aut e contra, & procreatur declinatio stellæ. Hæc (inquam) in stellis & phænomenis omnem parallaxim excludentibus ita habent. Verùm in iis stellis & phænomenis, quæ omnino aliquam admittunt parallaxim, ex illorum altitudinibus haud quaquam declinatio venari potest, ob parallaxium inæqualitatem. Nam si quis cum minima altitudine declinationem inuestigare vellet, cùm in eo situ maximæ fiant parallaxes, maxima hîc quoq; necessariò fiet declinatio. Si autem assumpserit maximã altitudinem, ubi minimæ fiunt parallaxes, minima etiam ibi fiet declinatio. Sic incertæ, inæquales, neq; sibi consentientes, neces-